

QK.188,29.

EPISTOLA GRATVULATORIA
DE
RECTORVM ET CON-RECTORVM ILFEL-
DENSIVM MVTATIONIBVS,

QVA

V I R O

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

D O M I N O

JOHANNI HENRICO
S T V S S I O ,

HACTENVS PHRONTISTERII ILFEL-
DENSIS PRO-RECTORI DIGNISSIMO,

NVNC

ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI RECTORI
DESIGNATO,

CVM

OFFICIVM PARITER AC LOCVM MVTARET
EX ANIMO

FAVSTA QVAEVIS ADPRECABATVR

FRID. CHRISTIAN. LESSER,
PAST. MAR. IN MONTE ET
ORPHANOTR. ADMIN.

SONDERSHVSÆ,
TYPIS JAC. ANDREÆ BOCKII, TYPOGR. AVLICÆ.



— ETIENNE THOMAS ALBINI

— COMEDIE EN TROIS ACTES
— EN UN SEUL JOUR

— PAR M. DE VILLENAVE

— AVEC DES CHANSONS

— COMME CELA SE FAIT

— PAR M. D'ALBRE

— D'APRES LE MUSIQUE DE

— M. DE L'ESTOY

— MUSIQUE DE M. DE L'ESTOY



*VIR PRAENOBILISSIME ac DOCTISSIME
AMICE DILECTISSIME.*



Uanquam immensus terrarum orbis omnipotens sui Creatoris voluntate fundamentis sat firmis innitatur, vt sine ejus nutu loco moueri non queat ; breues tamen & mutabiles ejus vices sunt, & aeternum nihil est, sacro quicquid lenta tulit materies suu. Aërem mundi si respicimus, stupendos in eo obseruamus motus. Jam enim horrido grassantium ventorum impetu terras quatit, jam vero leni halitu eas reficit ; jam salubri temperie corpora mortaliuum recreat , jam vero pestilenti contagione & internecino

A 2

mor-

morborum genere ea vrit, id quod, vel me non monente,
quotidiana experientia quemlibet condocet; Jam molesta
grauitate, jam vero jucunda *leuitate* pulmones afficit, id quod
ipsa aegrotorum hominum corpora non sine damno sentiunt,
& barometra Torricelliana oppido satis demonstrant; Jam
necessario *calore* tepet, jam vero acrioris *frigoris* vi corpora
hominum tangit, id quod Dribbeliana vel Fluddiana thermo-
metra comprobant. *Sol*, coeli praeses aerei lucisque parens,
et si *inexhausto* redeuntia *secula motu voluat*, *mutationis* tamen non
expers est. Ejus quidem *lucem immutabilem*, naturamque ejus
semper eandem esse crediderunt Peripatetici, sed celebris Ma-
themathicus florentinus, Galilaeus Galilaei, anno MDCX. be-
neficio telescopii animaduertit, maculas in ejus superficie nasci
augerique paullatim & dissipari. Hinc etiam fit, ut serenis-
sima tempestate *Sol* interdum, subpallidus sit. Ipso etiam
lumine variat. Nam *moestum Sol* *hodie caput, cras laetum roseo*
promit ab aethere. Quid quod interdum tempore novilunii
Eclipsin patiatur, quando nempe opacus lunae orbis inter no-
strum terrae orbem & solis flammiferi splendentem fulgorem
ita ponitur, ut radios ejus intercipiat. Habet & *Luna*, ger-
mana solis soror, suas conversiones, ideoque sub variis figuris,
quas phases Lunae dicunt, se se nobis conspiciendam praebet.
Nam & *accretione & diminutione* luminis fastos notat & signi-
ficat dies. Nimirum quando a conjunctione cum sole recede-
re incipit, & ex ejus radiis emergit, exigua admodum ejus
portiuncula illustrata apparet, & se curvare incipit in cornua;
quo magis autem a Sole recedit, eo major pars ea illustrata
evadit, & crescere videtur, donec ad oppositionem solis per-
ueniat, tum enim orbem sidus implet; quando vero ad so-
lem iterum recedit, quasi senescens decrescere videtur. *Eclipses* etiam, quas luna patitur, ejus loquuntur *mutationes*,
Quando enim e regione solis terra interponitur, incident in
vmbram

ymbram ejus, repente deficit. Si sidera coelestia, quae sunt
infixa certis sedibus, consideramus, vel haec variis conuersio-
nibus adfligi docebimur. Nonnulli quidem & veteribus phi-
losophis existimaverunt eorum naturam plane esse immutabi-
lem. Sed postremis hisce, iisque perspicacioribus seculis sae-
pius animaduersae sunt nouae stellae, Veteribus ignotae, quae
cum fulgidissime aliquandiu lucerent, postea euanuerunt, aut
per vices se conspiciendas praebuerunt, ex quo haud absurde
colligimus, in magnis illis vorticibus, quas stellae occupant,
varias subinde contingere mutationes. Sed aëri haëtenus in-
fixas cogitationes in mare demittamus! Ingens illa aquae sal-
fae copia, quae a Septendrione in Meridiem, & ab Occasu in
Ortum quaquauersum terram sicciam fluctibus suis ambit,
equidem ratione falsuginis & copiae immutabilis videtur. Nam
quanquam magna dulcis aquae copia perpetuo ex fluuiis in
mare descendat, minime tamen dulcescit; & contra cum quo-
tidie illud ingentem particularum salinarum copiam in littera
egerat, industria quoque humana sal hinc inde ex eo educat,
multa vero flumina vndas suas in illud exonerent, minime ta-
men copia aquarum marinorum vel augescit, vel minuitur.
Verum enim vero fluidum hocce clementum variis circumagi
motibus, positum est extra controuersiam. Jam enim subitis
turbinibus infuscato aëre inhoret. & exasperatur, jam vero
tempestate sedata quietis fluctuum lusibus blanditur, & quod
vexant hodie nori, cras lambunt hilares aequor ethesiae. Quid de
fluxu & refluxu maris dicam? cuius aquae certis temporibus
in Septendrionem decurrunt, dein elapsis horis sex in meri-
diem regrediuntur, cuius quidem causam, a lunae pressione
derivandam nunc non adduco, quia Te non latet, neque mei
est scopi. Ad sicciam nunc terram e fluido pelago meditatio-
nis nauem adpello. Neque hanc immutabilem offendo. Quan-
tas mutationes ipsi adferunt quatuor anni tempestates? Blandi

veris tempora eam jucunda florum voluptate ornant; aestiu*i*
soles eam messibus formosam reddunt; autumni pomiferi
gratia eam vario maturorum fructuum genere ditat; & fri-
gidus niyosi hyemis horror eam gelu constringit. Quantae
vici*s*titutines telluri accidentur *per terrae motus?* Saepius enim
evenit, ut alibi prostrata moenia, alibi hiatibus profundis hau-
sta, alibi egestae moles, alibi emisi amnes, nonnunquam etiam
ignis calidique fontes, alibi adversi fluminum cursus: insulae
mari ablatae & terris junctae: Terra*e* vero in totum ablatae
sint. Et quales putas terrae fluctuant*i* vices evenisse? cum
tempore innocentissimae passionis Domini nostri Jesu Christi
vastis ruinis conuulsa, quaqua patet, dissiluit.

*Dissiluisse putas diuulsi mocnia mundi,
Sub pedibus mugit tellus: sola vasta mouentur.
Tecta labant: nutant succussae vertice turres.*

Quantas mutationes telluri pariunt eluiones? quando mare vel
fluvii magni, finibus suis contineri nescii, sternunt sata laeta,
boumque labores. Tunc enim

*Exspatiata ruunt per apertos flumina campos,
Cumque satis arbusta simul, pecudesque virosque,
Tecta que, cumque suis rapiunt penetralia sacris.
Si qua domus manxit, potuitque resistere tanto
Indejecta malo, culmen tamen altior bujus
Unda tegit, pressaque latent sub gurgite turres.*

Praeprimis cataclysmus vniuersalis magnam terrae intulit *al-*
terrationem. Fuit haec reuolutio omnium, quas orbis vñquam
passus

passus est, maxima, accidentibus stipata inauditis ; tremenda
& portentosa Catastrophe. Terra namque elegans, fructi-
ferum & commodum habitaculum, cardinibus suis prorsus
emotum, in frustra quassatum, & in ruinarum molem ever-
sum est, quarum rudera, tristissimae hujus mutationis testes
mutos, etiamnum videmus. Ingens quoque oriatur necesse
est in terra *conuersio ex variis ignibus*, qui ejus viscera depascun-
tur. Hi enim arenarum, & bituminum moles ex cavernis,
immani vi disruptis & spissso stridore disilientibus, egerunt,
omnia perfringunt, durissima saxa liquefaciunt, gravissimas
moles projiciunt, petras detrudunt, sylvas incendunt, vrbes
perdunt, homines deuorant. Urbes, terrae impositae, quam-
uis & muris ac situ ipso validae sint, mutationibus tamen obno-
xiae sunt. Vel enim externa hostium vi euertuntur, vel vetu-
state exeduntur. Scholae urbium, non aedium solum, sed et-
iam status patiuntur vicistudines, id quod domestico com-
probare potero exemplo. Quas enim non subiit vices schola
Norhusana? Quemadmodum enim olim in monasteriis scho-
lae constitutae sunt, vti ipse in programmate eruditio de scho-
lis liberalium artium in coenobiis domonstrasti, ita etiam Friedericus II. Romanorum Rex, cum pulsis ob enormem lasciu-
am monialibus Canonicorum secularium Collegium anno
cl^o CCXXII. Nordhusae institueret, inter Canonicos scholasti-
cum constituit, qui scholae in monasterio S. Crucis erectae
praeesset, ex quo tempore juuentuti Nordhusanae hoc mona-
sterium quasi ludus quidam patuit, atque officina discendi stu-
dia, quae ab humanitate nomen sortiuntur. Adfluente autem
postea majori hominum & juuenum copia imperiali Nordhu-
sa, vt schola S. Crucis pueros non caperet, neque unus praec-
ceptor eis instituendis sufficeret, facile ciues supplicationibus
suis a Johanne, ejus nominis Papa XXII. impetrabant, ut datis
V. Cal. Jul. Avenione literis ipsis concederet, nouam condere scho-

scholam. Aegre hoc ferebant Canonici S. Crucis, & omni ope
conatibus ciuium resistere adnitebantur, quo facto moti ciues,
manus violentas in Canonicos injiciebant, & hoc ipso suffra-
ganei moguntini excommunicationem incurrebant. Re igit-
tur ad sedem Archiepiscopalem moguntinam delata, tandem
a. clo CCXXVI. a Matthia, Archiepiscopo Moguntinensi rei
veniam impetrabant. Hinc factum, ut successu temporis scho-
la S. Crucis cessaret, schola autem ciuium maneret. Postquam
vero Lutherus, diuino inflatus Spiritu, ad illustrandam iterum,
atque a superstitione papali, qua oppressa erat, vindicandam do-
ctrinam, purioris religionis facem praetulerat, simul cum tem-
plis etiam schola mutata est. Magistratus enim Nordhusanus
probe sciens, quantam rei adferant publicae utilitatem scholae
bene ordinatae, ad prisca instituta coenobii Dominicani, quod
hic floruerat, reuocauit conditionem, & magistris optimarum
artium alendis rursus impendit reditus, antea in abusum abre-
ptos, qua de mutatione elegans extat Hecastichon Johannis Lo-
richii, in laudem nouae scholae, quam Senatus Nordhusanus
imibi erexit. Ad homines nunc me conferam. Heu! quantas
in iis non obseruare datur mutationes? Homo varium & mutabi-
le semper est animal. Animus ejus polypo mutabilior, variis affe-
ctuum grassantium procellis hinc inde rapitur, vt de pluri-
mis dici possit.

*Tu leuior foliis, tunc cum sine pondere succi
Mobilibus ventis arida facta volant,
Et minus est in te, quam summa pondus aristā,
Quac leuis aspidis Solibus vta riget.
Non sic incerto motantur flamme Syrtes,
Nec folia hyberno tam tremefacta Noto.*

Corpus

Corpus ejus varias sanguinis, humorum & crasium sentit alterationes, ex quibus variis nocentissimi enascuntur morbi.

Tempus ejus fertur scitu praecipitis pilae,

*Quac cum pulsa caua rejicitur manu,
Nunc leues secat Afrios,
Nunc terrae refugis absilit ictibus,
Vesper vespere truditur;
Sed nunc deterior, nunc melior subit.
Anni nubibus insident,
Incertis equitant lustra fauoniis
Cacco secula turbine.*

Vita ejus inconstanti vicissitudine tantum decrescit, quantum crescit. Nam

*Mobiles rerum dubiisque casus
Regna mortalis tenuere vitae:
Sedulus metas properat fugacis
Impetus aequi.*

Fortuna ejus infimo nititur talo. Nam

*Idem Phosphorus aspicit
Magnum, quem tenuem viderat Hesperus
Alterno redcunt choro
Risus & gemitus, & madidis prope
Sicci cum lacrymis joci.*

B

Honores

Honores ejus variis subjecti sunt periodis. Nam qui

Fessos duxit heri boues

*Dat magnis hodie jura Quiritibus
Et quae bobus ademerat*

*Imponit Gabius & Curibus juga.
Quod si seria ludicris*

*Fortunae placeat texere; rusticus
Hesternam repetet casam,*

Ridentis populi non humiliis jocus.

Opes ejus incertae. Nam

Irus & est subito, qui modo Croesus erat.

Non est, quod haec omnia testimoniis peregrinis, quorum quidem messem fatis amplam habere possem, comprobem, cum testimonia vernacula antecessorum Tuorum, Rectorum nempe Ilfeldensium ad sint. Iis namque, qui vel leviter historiam eorum degustarunt, notum est, quantis mutationibus fuerint expositi. Liceat vero eas mihi, ex circumstantiis, quas vitae eorum praebent, dispescere in honestas & minus honestas, voluntarias & non voluntarias, felices & infelices.

Honestas subierunt mutationes, qui obtento, prout par erat, superiorum consensu, vel sedem, vel officium commutarunt. Illud fecit M. Michael Proesselius, qui a Senatu Nordhusano evocatus, ut Con-Rectoratum Ilfeldensem cum Nordhusano commutaret, oblatam accipiebat spartam. Nec non M. Fridericus Hilde-

Hildebrandus Con-Rector Ilfeldensis, parentis docti doctior filius, qui anno MDCLI. bona superiorum venia, relictis Muis Ilfeldensibus, sedem Nordhusam, imperialem liberamque civitatem, vetustatis & literarum gloria insignem, transferebat, & in phrontisterio hujus urbis Con-Rektoratus aggrediebatur munus; hoc fecit M. Fridericus Wackerus, & nomine & omni vigilans, qui Rectoratu Ilfeldensi, non sine laudis gloria gesto, non quidem locum, officium tamen permutabat, dum superiorum nutu oves, quae Seruatori O. M. per verbi diuini paeconium colliguntur, ibi in ecclesia pascebat, vbi antea agnos in schola ipsi adduxerat. Contra minus honestam subiit mutationem, M. Wilhelmus Tollius, vir alioquin propter cognitionem eximiam variarum linguarum orientalium, & scientiam rerum satis prudens, nisi ipse cognomen suum satis comprobasset, dum furioso ausu, ne salutatis quidem Superioribus, officium scholamque relinquebat. Eum tamen postea ad saniorem rediisse mentem, testantur ipsius literae, e suburbio S. Petri in Ingria XIV. Kal. Maji a. clc DCCIX. ad fratres Arnoldum & Justum Tollium datae, vbi inter alia haec habet: Inter illa (mala) quoque hanc mihi laeuam mentem fuisse fateor, quod illa cogitans effugia, ne superioribus quidem indicandum discessum ducerem, cum quia singulari meo iudicio (nihil jam dissimulare juuat) indignos illos existimabam, sub quorum imperio eo redactus essem, tum, quod maxime speciem summae libertatis habebat, quia haud ita pridem in causa Eimbeccensi tales literas a superioribus acceperam, quae, quorsumcumque & quando vellem, licentiam dabant abeundi. Quanquam & heic non nihil stolidae vindictae immixtum fuisse, negare nequeam. Quemadmodum autem alii honeste, alii minus honeste Ilfelda discesserunt; ita etiam aliis voluntariae, vel non voluntariae contigerunt vices. Voluntarie mutarunt ii, qui vel spe melioris conditionis allesti, vel ad aliam spartam vocati,

vocati, vel alia de causa sua sponte officium abdicarunt. Pertinet huc, quem supra laudaui, *M. Fridericus Hildebrandus*, qui vocationi legitimae, ab amplissimo Magistratu Nordhusano acceptae, nutui diuino resistere indignum ratus, parere voluit, & oblatum Con-Rectoris officium acceptauit. Quemadmodum etiam postea, ipso in oratione inaugurali confitent, arduum Rectoris munus, nullo ambitu, munusculis nullis, nullis blanditiis, aliisve minus laudatis artibus quæsitum, in nomine S. S. Trinitatis oblatum accepit. Quid quod tandem Gymnasi Martisburgensis habenas, diuina motus vocatione, lubens capessivit, fatente Lic. Joachimo Fellerio, Prof. Publ. Lipsiensi, in carmine gratulatorio ita canente:

- - Hildbrandum *vocitat* mox *Martius Heros*
Atque suae regem *gymnados esse jubet*,
Illegue diuina permotus voce, capesit
Mox quoque *Ephoebei munia prima noui*.
Diuinos diuina trabunt sic fata magistros &c.

Jungendus huic *Hieronymus Praetorius*, Hamburgensis Poeta non humilis spiritus, ingenio & facundia praecellens, qui suauitate auctoritateque *Johannis Henrici Hoffmanni*, viri rerum antiquarum peritisimi, Cellam ad Regendam scholam Ilfelda euocatus, optimo viro morem gerere honestum ratus, lubenti animo, quo fata & patronorum vota trahebant, sequebatur. Inter Con-Rectores voluntarie officium resignarunt *Henricus Albertus Krüger*, *Matheseos peritisimus*, qui officio relictio Bremam abibat, ibique totus studio mathematico incumbebat; & *Theodorus Valentinus Wernerus*, qui, nescio qua de causa, nulla necessitate urgente, munus, quod cum laude ornabat, depo-

deponebat. E contrario *non voluntarie* officium mutarunt ii, qui vel superiorum jussu officium deponere coacti sunt, vel eorum vindicem metuentes justitiam, ipsi contra voluntatem illud abdicarunt, vel vi hostili ad tempus cedere, neceſſe ha- buerunt. Illud contigit *Casparo Ernesto Trillero*, critico sag- cissimo, aſt theologo ſuſpecto, qui, *Huthmannum*, uti in offi- cio, ita in *Heterodoxia* ſecutus eſt. Hic postquam ad studio- sum quendam *Helmſtadium* ſcriperat, ſanctissimam redem- toris nostri ſatisfactionem ex ſacris pandectis neque expreſſis verbiſ, neque per bonam conſequentiā probari poſſe, The- ologicae Facultatis *Wittebergenſis* confilio, ab officio remoue- batur; hoc accidit *M. Henningio Huthmanno*, Matheſeos peritiſſi- mo, qui falsas de justificatione hominis peccatoris coram Deo opinioneſ animo fouens, & ideo superiorum punitiuas metu- ens manus, quanquam libenter in posterum ſpartae ſuae lon- gius praeeſſe volebat, prius tamen officium, quam mentem mutare maluit; tertium euenit *M. Johanni Cajo*. Cum enim belli tricennalis feralis flamma in noſtrā etiam viciniam fer- pereret, aduentu *Apostatae*, *Bartholdi Nihuſii*, quem illegitima armorum vis, non legitima vocatio, tanquam nouum Admini- ſtratorem in coenobium Ilfeldense introducebat, *Cajus* loco ce- dere, & interea *Nordhusae* incuria Ilfeldensi vitam trahere cog- batur, donec ingruente mitiori temporum curſu a. d. DCXXXI. pristinum iterum occuparet locum.

Alias fenerunt *mutationes* ii Rectores Ilfeldenses, quibus vel *felices*, vel *infelices* fortuna concesſit vices. *Felicem* fortu- nae fautricis experti ſunt aspectum, qui vel majori ſplendidio- rique muneri admoti ſunt, vel diuorem acceperunt ſpartam. Prius euenit ſupra nominato *Praetorio*, posterius *M. Friderico Wackero*,

Wackero, de quo etiam supra egi, vti etiam M. Georgio Soldnero, qui ad Parthenopolitanum Con-Rectoris munus abiit. Pertinet huc D. Johannes Casparus Güntherus, Antecessor tuus, qui Ilfelda abibat ad munus Inspectoris prouincialis Ecclesiastarum Altenburgensium, jam autem Civitatis Calensis Pastor, & dioecesum Leuchtenbergensis, Orlamundanae & Rodanae Ephorus existit, Vir, vti studiis probe excultus, ita vigilantia ac animarum cura solertissimus. Verum, vt sunt inconstantes rerum vices, nonnulli fortunam nacti sunt nouercantem, & infelici sidere Rectoratum gesserunt, quibus fatis sic disponentibus sana corporis affectio in periculosam grauemque valetudinem mutata est. Sensit ejusmodi mutationem par nobile Rectorum Ilfeldensium, quorum prior M. Job. Palladius, palladii artibus ornatisimus, tandem difficiili audiendi sensu affectus, officii explere munia amplius non poterat; alter vero M. Georgius Nicolaus Kriegkius, philosophiae & styli purioris laude eruditis satis notus, hemiplexia tactus, & linguæ antea disertissimæ, & manus dextræ usū privatus est, virbonorum omnium iudicio meliori fortuna dignissimus, cui Deus vel pristinam restituere sanitatem, vel animum ærumnarum patientem concedere velit.

Plura si addere vellem, fines epistolarum transgrederer, quae laconica potius breuitate, quam longo verborum ambitu delectantur; igitur potius hic subsisto, & Tuam, quam nunc suis, mutationem considero. Est mutatio haec Tua honesta. Non enim, quae Tibi tradetur, spartam vel munerum argumentis realibus, vel verborum blanditiis quaesiuisti, sed ea Te, nec opinantem quidem talia, sponte quaesiuit. Neque insalutatis discedis superioribus, sed potius Rege Tuo clementissimo clementis-

mentissime concedente, & illustri ac summe venerabili coenobii Ilfeldensis praelato annuente Musas Ilfeldenses cum Musis Gothanis permutas. Est haec *mutatio Tua voluntaria*. Nemo enim Te cogit, nemo Tibi scholae Ilfeldensis regimen invitum manibus extorquet, sed potius, consideratis & ad rerum Tuarum statum relatis circumstantis, lubens illud deponis. Est haec *mutatio Tua felix*. Solitudinem, in qua tanquam lumen sub modio delitefcebas, relinquis, & migras in urbem magna hominum copia affluentem, in qua porro illucescere tua poterit eruditio. Locum, in quo rara cum paucis eruditis Tibi fuerunt commercia, commutas cum loco, in quo frequentiora cum doctis Tibi erunt commercia. Et quemadmodum relinquis *Regem*, cuius clementia potentiam ejus aequat, ita inuenis *Gothae Principem*, clementia insignem & literarum studiis fauentem. Sed eheu! quae Tibi *felix*, ea mihi *tristis* contingit *mutatio*. Scis, *Vir amantisime*, quam firmo atque interrupto animi nexu haec tenus fuerimus coniunctissimi, quamque vetus inter nos intercesserit usus, putalne hanc nostram conuersationem, hanc jucundissimam officiorum societatem sine insigni animi tristia locorum distantia interrumpi posse? Quoniam autem fatis divinis cedere Christiana me condocet religio, malo sancto silentio dolorem, ex discessu *Tuo* ortum, supprière, & patienti animo ferre, quae mutari non possunt, quam impatienti clamore coelum facessere. Non possum tamen non, quin pro nostra amicitia fausta quaevis Tibi adprecer. Omnipotens Numen, quod hanc fecit mutationem, concedat **TIBI** interruptam *Principis Tui* gratiam, constantem Patronorum fauorem, firmam Collegarum amicitiam, prontam discipulorum obedientiam, vires laboribus scholasticis sufficietes, & quae in votis habes. Coeterum omni contentione rogo pe-toque, nolis cum loco animum *mutare*, sed potius amicitiam,
quae

quae hactenus inter nos intercessit illibata, sartam te etiamque
seruare. Sin vero Tibi arridet mutatio, ut frequenter literas,
absentium amicorum interpretes, mecum commutare velis, opto.
Vale cum TVIS & porro ama

Praenobilissimi Nominis Tui

Nordhusae, d. 23. Sept:
cic. D. CC. XXIX.


Cultorem perpetuum

Fr. Chr. Lesserum.

ULB Halle
003 901 718


3

Yc. 963 01



M.C.

Farbkarte #13



LA GRATVULATORIA
DE
I ET CON-RECTORVM ILFEL-
NSIVM MVTATIONIBVS,
QVA
V I R O
LISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
D O M I N O
NNIHENRICO
T V S S I O,
VS PHRONTISTERII ILFEL-
PRO-RECTORI DIGNISSIMO,
NVNC
GYMNASII GOTHANI RECTORI
DESIGNATO,
CVM
M PARITER AC LOCVM MVTARET
EX ANIMO
FAVSTA QVAEVIS ADPРЕCABATVR
CHRISTIAN. LESSER,
ST. MAR. IN MONTE ET
ORPHANOTR. ADMIN.

SONDERSHVSÆ,
AC. ANDREÆ BOCKII, TYP OGR. AVLIC.

